

semper debitam executionem facere et id, quod leges et Jura eiusdem Regni nostri suadent expostulareque videbuntur, administrare debeatis et teneamini, auctoritate nostra vobis in hac parte attributa et Justicia mediante; secus non facturi. Presentes vero ob absenciam Maioris secreti Sigilli nostri anulari secreto Sigillo nostro iussimus consignari. Quas post earum lecturam reddi iubemus presentanti. Datum Bude in Vigilia festi Beati Thome apostoli anno Domini Millesimo quingentesimo tredecimo.

(*Sigillum Regium appressum.*)

Orig. carth. in Archivo Regni Croatiae. Priv. Nr. 119.

CLXXVI.

Anno 1513. die 28. Decembris. Budae.

Vladislaus Rex Banum Regni Slavoniae oppressis nobilibus contra oppressores auxilium praestare jubet.

Commissio propria Domini Regis.

Wladislaus, dei gracia Rex Hungarie et Bohemie &c Fidelibus nostris Reuerendo in Christo patri domino Petro Beryzlo, Episcopo Ecclesie Wesprimiensis, Thesaurario nostro ac Banatus Regnorum nostrorum Dalmacie, Croacie et Sclauonie prefecto eiusdemque Vicebanis ac Egregijs Magistris Prothonotarijs et Iudlium ceterisque Juratis Assessoribus eiusdem Regni nostri Sclauonie Salutem et gratiam. Ex grauibz querelis fidelium nostrorum Vniuersorum Regnicolarum istius Regni nostri Sclauonie intelleximus, qualiter nonnulli forent in medio eorum, maxime vero potenciores, qui inferioris condicionis et status Nobiles eorundemque Colonos et Jobagiones illegittime et indebite ac preter omnem viam Juris impedirent, dampnificarent et opprimerent, territoria et metas eorum occuparent et diuersimode ipsos inquietarent; et dum lesi eos Jure conuenire propterea vellent, etiam ad litteras et mandata nostra Juri stare minime vellent, neque per Iudices ordinarios eiusdem Regni nostri compelli ad standum Juri possent. Quorum quidem licenciose huiusmodi accioni nos debito remedio occurrere, vt tenemur volentes, Mandamus Fidelitati Vestre harum serie firmiter, quatenus acceptis presentibus prefatos Nobiles sese ad defendendum impotes nullo modo a potencioribus opprimi aut turbari permittere debeatis. Si vero ex parte talium potentum et violentorum Jus et iusticiam habere et expetere a vobis voluerint, obseruata lege et veteri consuetudine eiusdem Regni nostri, ex parte eorundem plenum et indilatatum Judi-